



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

6. Rationibus ea ad futuritionem conditionatam decreta eliminantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

CERTAMEN VI.

Rationibus ea ad futuritionem conditionatam decreta eliminantur.

1. **V**erum iam ad rationes, quibus nos superiores etiam apocrypha illius historie disputationum Romae habitatum auctores plane, & historia illa de promotione eorum ad Augustini testimonia supponunt; ac dum nostra argumenta versant, fatentur captiuandum intellectum Christianam humilitate in obsequium fidei. Sed heus vos, cuiusnam fidei? an de decreto hoc absoluto ex parte actus, conditionato vero ex parte obiecti? an de praesentione omnino absoluta, ac praedeterminata ac physica praedeterminatione necessario praerequisitis ad absolutam contingentis cuiusvis futuritionem? sed qua precor fidei Christianae obseruantia ea de fide Catholica esse putabitis? dicetisne post Pauli Pap. V. constitutionem, & decretum ab eius successoribus confirmatum: quo auxilium non ab intrinseco, aut antecedenti aliquo natura ad voluntatis consensum, sed a solo consensu efficacium doctrinam probabilem, tutamque in fide esse statutum est? quidquid enim de fide Catholica est, nullam oppositam doctrinam probabiliter relinquit: sed, nec in fide, ut aiunt, Parentum credi potest: cum, & Ecclesiae Patribus, & S. Thom. aduersari decreta haec, & alia omnino absoluta partim ostendimus, partimque ostensuri in sequentibus aperte sumus. Sed rationes contra decreta haec absoluta subiectivae, & obiectivae conditionatae intraemus.

2. Et primam in hunc modum. Praesentio omnino absoluta praedeterminata consensus futuri absoluti atque omnino independens ab illo, & arbitrio voluntatis eius contingentiam, & libertatem euertit, ut fuisse demonstrabimus in sequentibus: ergo, & praesentio de eius futuritione conditionata eius contingentiam, & libertatem conditionatam: quare & suum obiectum seque ipsam destruet; tantum abest, ut ad contingentis futuritionem requiratur! Primam consequentis partem probonam reliqua euidenter deducuntur ex illa: quia praesentio haec de futuritione consensus sub conditione purificata conditione, vel seipsa, vel per aliam, quam infert, transit in absolutam, ac proinde tollit aequae, ac praesentio absoluta consensus libertatem. Secundo: per aduersarios, & causa est conditionatae futuritionis contingentis, aequae, atque praesentio omnino absoluta futuritionis absolutae eiusdem: imo vero magis, cum se sola conditionatam futuritionem apponat: aequae item connexa vi suae causalitatis cum conditionata futuritione atque alia omnino absoluta, cum absoluta eiusdem contingentis futuritione: aequae item imo magis independens ab usu libertatis, & potestate voluntatis conditionatae, quam praesentio ab usu libertatis, & potestate voluntatis absolutis: sed his solum titulis, hisque causis praesentio omnino absoluta futuri contingentis eius libertatem absolutam euertit: ergo, & praesentio absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti euertit eius conditionatam libertatem. Hanc consequentiam, si antecedens certum sit (ut mihi certum est, alii quoque ostendam inferius) irrefragabile iudico.

3. Confirmatur adhuc vrgentius argumento sequenti, quod sit secundum, quia aduersarij totam vim seu virtutem actiuam apponendi hanc futuritionem contingentis conditionatam huic praesentioni actuali Dei de conditionata illius futuritione omnino tribuunt: quia, ut absolute verum sit esse illud sub conditione, oportet causam actuale huius futuritionis dari: quomodo non sunt, sub quibus fore decernitur, quatenus in hypothese solummodo sunt: cum autem, ut actu partialiter causent causae, non minus requiratur absoluta, & actualis earum existentia, quam, ut causent totaliter causae totales: principia illa, quae solum in hypothese sunt ad futuritionem contingentis conditionatam eam in horum sententia, ne partialiter quidem ad futuritionem conditionatam influere planum est: sed solum, ut puras condiciones se habere, totamque eius futuritionis actiuitatem, & influxum praesentionis

esse: ergo euertit potius libertatem, quam praesentio absoluta, ac physica praedeterminatio. Probatur consequentia: quia nequit exerceri libertas sine potentia actiua: atqui respectu status conditionatae futuritionis nulla est potestas actiua voluntatis: ergo respectu illius adhuc pro eo statu nulla exercetur in eius consensu conditionata libertas. Confirmo vrgentius. Posita praesentione consensus voluntatis conditionati impossibilis est negatio eius conditionatae futuritionis, non solum in sensu composito, sed etiam absolute impossibilis, quia nulla est potestas actiua absolute voluntatis ad eius futuritionis negationem, quia nec est absolute voluntas, nec indifferentia cogitationum, in quibus aduersarij potestatem, seu potentiam ad negationem futuri absoluti omnino absolute praesentiti cum eius praesentione componant.

4. Dices: ad libertatem voluntatis erga suum consensum conditionatam futurum, huiusque subinde conditionatam contingentiam, & libertatem satis esse potentiam, seu voluntatem indifferentes cogitationes in hypothese: id quod verissimum nobis est, sed cum aduersarij praesentionibus hisce, & doctrina omnino repugnans ac difficultati propositae insulficiens probo: quia libertas, & potestas ad verumsum, solum in hypothese, sufficiens non est ad vitandam necessitatem antecedentem consensum pro statu futuritionis, pro quo absoluta, & absolute necessitas illa est, alioqui nulla est necessitas antecedens, ac libertatem euertens esse posset, adhuc per potentiam Dei absolutam cum nulla necessitas antecedens, & necessitas ad actum esse posset, quae excludat condiciones, & hypotheses omnes sub quibus esset in voluntate potestas ad verumsum. Atqui necessitas antecedens praesentionis Thomistarum de consensu contingentis conditionatae futuro seu pro statu futuritionis conditionatae, absoluta est, & absolute: potestas autem voluntatis ad verumsum absoluta, & absolute non est, sed solum in hypothese: ergo non est sufficiens ad vitandam necessitatem illam antecedentem absolute libertatis destructiuam. Secundo: per aduersarios, ut Deus suam primam libertatem in positione eius futurius conditionatae exerceat, satis non est eius decretum poni primo gradu, & loco ut pote primi liberi in hypothese, & pro conditione, licet futurio conditionata solum sit ergo neque, ut secundum liberum, scilicet voluntas, suam libertatem necessitati aduersam in positione eius futuritionis conditionatae exerceat, satis erit eam, & principia indifferentia, quibus potestas ad verumsum, & libertas in actu primo seruanda in eorum doctrina est, posita etiam praesentione, poni in hypothese, & pro conditione. Tercio denique solutio haec solidum principium est, ex quo ea praesentio de futuritione conditionata ad hanc statuendam non necessaria, sed omnino superflua inferius demonstrabitur.

5. Arguamur tertio: ex infallibili consequentia quae est a futuritione absoluta consensus liberi ab eadem principiis essentialiter, & adaequate requisitis absolute futuri ad eundem sub eadem omnino principiis in hypothese, & pro conditione positis conditionate futurum, quod argumentum persecutus late sum cert. 2. a num. 3. ad 6. inclusive. Arguamur quarto: a futuritione conditionata malitiae peccati, seu peccati, quia peccati: quam quidem absque decreto actuali Dei de eius futuritione consistere ostendi pluribus eodem certam. a num. 7. ad certaminis finem: quo loco effugia, quae ab aduersariis tentari possent, praecelsimus. Arguitur quinto: quia implicat praesentio Thomistica actus prauum adhuc materialiter sumpti, siue materialis peccati absolute futuri: ergo, & materialis peccati seu actus prauum sub conditione futuri: in quo discursu plura alia argumenta continentur, quibus multiplici ex capite praesentiones materialis peccati reiciemus in sequentibus. Sexto argumentor: quia Deus infinitis infinitis decretis actualibus inutiliter oneratur a Thomistis circa futuritionem conditionatam omnium actuum creaturarum rationalium possibilium in omnibus mundis a Deo creabilibus, sub quauis possibili etiam rerum, & conditionum combinatione, & peristat futurarum: quae ratio Magistram, & Illustriss. Fr. Angelum Manrique, imo & Thomistas peritiores a nobis supra reiectos, mouit, ut non sine irratione praesentes praesentiones de futuritione contingentis conditionatae reicerent: & sane eiusmodi decreta de rebus, si hoc vel illud eueniat, ita vel secus peragendis imperfectae nostrae prouidentiae & prudentiae

& prudentia est: etenim rerum euentibus omnibus occurrere facile sapere non possumus, nisi aliquid præueniamus, quod non semper ad manum habemus; ac item, si imparatos nos rerum euentus capiant prompta adeo, atque expedita non est melioris, & opportunitatis deliberatio: quare & eis decretis calus præuenire opus nobis, & prudens est: alio ratio hæc imperfectionem minus prompti & expediti consilij, & electionis opportunitatis, & curam potestatem Deo indignam in nobis supponit: quare eius præuentionis necessitas à Deo releganda omnino est de cuius prompta potestate, ac expedita, optimaque deliberatione Tertullianus aiebat. *Deus omnia sufficit, nec potest esse sua perspicacia præuicator.* Septimo: quia non solum otiose, sed imprudenter decerneret ita Deus de futuritione actionum sub conditione creationis, aut conditionis eorum, quos nunquam creabit, neque conditiones à seipso solum adhibendas apponet. Octauo: quia, cum Deo aequè prompta sint moria ad decernendum absolute omnino atque ad decernendum ex parte obiecti conditione, sitque in eo perfecta libertas, absolutumque egeat utramlibet decernendum dominium, poterit decernere absolute fore consensum, quin decreuerit prius illum fore sub conditione: siquidem status conditionatus consensus absolutum eius consensum nulla causalitate præcedit, sed solum prioritate maioris vniuersalitatis: cum neminem præuideat media, & conditiones, sub quibus illum de facto obtinebit, quin eius frustretur decretum (in perfecta Dei de rebus dispositio, & prouidentia respicit) sit certe, & scientiam conditionatam, & eius obiectum, illum scilicet consensum sub conditione futurum aliique decreto de eius conditionata futuritione, omninoque ab eo independentem haberi à Deo posse.

6. Nono arguo à priori: quia effectus solum petit causam proportionate, & sufficienter ad statum, in quo est: cum enim exigentia effectus, ut eius causa detur, sit eius indigentia, ut à causa sua sit, quia essentia sua ab alio, & non à se est, quicquid creatum est: iuxta eam solum proportionem statum, in quo effectus est, exigit, potestque pro illo statu exigere causam sui esse: atqui effectuum non existentium absolute (cuiusmodi sunt effectus sub conditione futuri) nulla est necessitas, & indigentia existentie absolute causarum suarum: ergo eius causæ non debent esse in statu absoluto, ut ipsi sint futuri conditionate, neque absolutus earum status est debitus, & proportionatus statui futuritionis conditionate effectus. Maior illa, imo discursus totus, est exprellis Sancti Thomæ 2. cont. gent. cap. 21. num. 3. his verbis: *effectus sui causis proportionatim respondet: ut, scilicet, effectus in actu causis actualibus attribuitur; & effectus in potentia causis, quæ sunt in potentia.* Confirmatur: quia futurum absolutum, quamdiu futurum est, ac non actualiter præsens, non requirit actu præsentem sui causam, sed satis est fore actu, & de præsentem pro sequenti duratione, pro qua de præsentem erit, quod futurum nunc est; alioquin & oportere etiam actu, & de præsentem esse Patrem, & matrem Antichristi, qui nunc futurus est. Imo, & oportere eos ab æterno, & ex æternitate actu & de præsentem, ac absolute exiitisse: siquidem Antichristus ex tunc aeterna æternitate est futurus: ex quo deduces: non solum Antichristi causas; sed reliquas omnium creaturæ effectuum causas: quare & fere creata omnia ab æterno absolute per intrinsecam durationem, & propriam mensuram esse, ac Dei æternitati ex æternitate coexistisse; imò & per totam æternitatem absolute coexistura; cum per totam illam præterita futura sint; nec minus requiratur causæ actualis, ut actu pro sua duratione præterita fuerint, quam, ut futura pro sua sequente duratione sint: ex quo nihil tempore cõpisse in mensura, & duratione, etiam propria: nihilque deficere contra Scripturam, Patres, & fidem legitime deducitur. Item possibile, quæ tale præcise, ut ait S. Th. non requirit causam existentem actu, quia actu non est, sed solum possibilem: ac proinde solum petit causas suas posibles siue in statu possibilitatis: atqui status futuritionis conditionate non est status actualis existentie, & absolute futuri pro illa duratione, sed existentie suspensæ, scilicet, si sit eius conditio, & causa requisita: siue non est futurum, quod absolute sit, vel erit; sed solum quod esset, si possetur eius causa: ergo ad eius futuritionis consistentiam

non requiritur causæ suæ absoluta, & actualis existentia, sed satis est illam, esse in hypothesi, & pro conditione.

7. Dici posset hæc omnia verum quidem habere in causis creatis futurorum contingentium; secus in Deo causis etiam essentialibus, & necessariis eorumque, quia creatæ ipsorum causæ, & futura ipsa debent subordinari Deo in essendo, & operando. Tum etiam, quia certum apud omnes est, ad quodvis etiam possibile, ac futurum Dei existentiam ab æterno, nec solum possibilitatem adhuc præcisiuam requiri. Requiritur item omnipotentiam actualem, cum requiratur possibilitas Dei non chimærica, & omnipotentia non ficta: cuiusmodi esset, cum possibilitas, tum omnipotentia ab actualitate essendi præcedens. Sed hæc vim argumenti non euacuant. Non primum: quia subordinatio causarum, & effectuum creatorum in essendo, & operando debet proportionari statui essendi, & operandi causarum, & effectuum creatorum, ut supra factæ rationes probant: cum autem in causis futurorum contingentium, atque in futuris ipsis status essendi, & operandi sit conditionatus, suspensus scilicet, & in hypothesi, satis erit decretum Dei, & pro conditione præcedere, eique sub ea esse, & operationem causarum, & futurorum sub conditione subordinari, & causæ primatus, & dominium, ac creaturarum causarum, & effectuum debita illi subordinatio proportionate seruetur: sed, nec secundum magis præstat, (ut enim modo ea quæstione abiteam, an conceptus possibilitatis, & omnipotentie Dei ab actuali eius existentia differat (de quo quantum satis est controuersi diximus, ex quo pender, an possibilitas creaturæ perat formaliter, an solum materialiter Dei, & omnipotentie existentiam actualem) admisso eo indistinctionis formalis principio: ex illo contra sic respondentes arguo: eius solum principij diuini actualis existentia, & absoluta requiritur ad statum non solum absolutam existentie, & futuritionis, sed etiam possibilitatis, aut futuritionis conditionate causarum, & effectuum creatorum, de cuius essentiali conceptu possibilitatis est, vel saltem ex cuius possibilitatis conceptu infertur necessitas eius existentia actualis, & absoluta: ac similiter ex eius positione in hypothesi, aut conditionate eadem actualis existentia absoluta infertur; atqui decreti possibilitas, aut conditionata existentia; neque est eius decreti absoluta existentia, neque illam necessario inferri cum sit absolute contingens, & liberum: ergo neque causæ, neque futura conditionata creata, quæ possibilia, vel futura conditionata eius decreti absoluta, & actualium existentiam supponunt, sed solum in hypothesi.

8. Arguo decimo: quia implicat aliquem effectum esse in aliquo statu, quin omnia principia essentialia, seu causæ omnes partiales essentialiter requisitæ proportionate ad eiusmodi statum effectus præsupponantur: quin satis sit partialem vnā causam effectus illius esse proportionate ad tribuendum ipsi statum illum. Hoc principium aequè euidens est, imò idem cum hoc nullum effectum poni in statu vilo posse ab vna solum causa partiali sui deficientibus aliis causis partialibus essentialibus ipsius siue necessariis, & essentialiter requisitis ad ipsum pro eo statu apponendum, quæ enim causa in statu proportionato ad apponendum effectum pro quouis statu adequata, & absoluta non est: perinde habet, ac si omnino deficeret ad status illius appositionem: id quod exemplis, ad oculorum penè, euidentiā confirmatur: ut enim aliquid sit absolute actu nunc, & de præsentem, necesse est ut omnes eius causæ necessariæ, & essentialiter requisitæ ad eius absolutam productionem, seu positionem actu, & nunc, & de præsentem existant: nec satis est ita existere vnā ex illis, vel aliam, reliquas verò exiitisse absolute, vel exiituras postea esse, vel esse posibles, v.g. ut actu, & de præsentem sit visio mea de colore aliquo, satis non est meam potentiam visuam actu, & de præsentem esse, nisi de præsentem sit color eiusve species, aut aliquid aliud (quidquid illud sit) loco illius concursuum, & concursus, quin satis sit hoc ex parte seu loco obiecti concursuum exiitisse, vel exiitum postea: multoque minus, quod sit possibile, dum actu, & de præsentem non existat: item, ut visio hæc sit possibilis à suis causis essentialiter requisitis, satis non est potentiam meam visuam, vel aliam causam partialem ex requisitis essentialiter ad ipsam, esse absolute

possibile, et si reliquæ absolutæ possibiles non sint: quoniam ea ratio est: quod omnes causæ essentialiter requiruntur ad effectum debent esse in statu proportionato ad illum, in quovis horum statuum apponendum; nec satis est alteram solum ex illis in statu proportionato ad eum effectum statum apponendum: actualis autem absolutæ existentie effectus illius visionis, nunc, & de presenti est in causis status actualis, & absolutæ existentie, nunc, & de presenti: status verò possibilitatis effectus ab illis, est possibilitatis absolutæ.

9. Hoc autem statuto principio notissimo sic rationem efformo: implicat esse pro illo statu effectum, nisi à suis omnibus causis essentialiter requisitis ad illum statum constitutis in statu proportionato ad illum statum effectus apponendum: atqui voluntas, & indifferens cogitatio sunt principia essentialia consensus vitalis contingentis, & liberi aequè, atque est essentialia principium Dei decretum: ergo implicat esse consensus vitalem contingentem, & liberum pro aliquo statu, quin voluntas, & vocatio, seu cogitatio cum indifferencia, nec solum Dei decretum, sine in statu proportionato ad apponendum consensus vitalem, contingentem, & liberum in eo statu. Tum sic: vel status proportionatus earum causarum essentialium ad apponendum statum futuritionis conditionatæ consensus vitalis, & liberi debet esse status absolutæ existentie earum, vel satis est eas in hypothetici & pro conditione apponi: si dicas primum: ergo nequit apponi futuritio conditionatæ vitalis, & liberi consensus à Decreto Dei actuali, & absolute posito solum, nisi voluntas, & vocatio absolute etiam sint. Patet consequentia: quia alias esset in eo statu effectus ille, consensus vitalis, scilicet, & liber ab una solum ex causis essentialibus posita in statu proportionato ad eius statum appositionem, reliquis causis essentialibus in illo non positis, sed deficientibus ab eo: contra evidens principium, quod demonstravimus: quod si ne in hoc principium impingas, consequentiam admittas: fiet, ut decretum hoc tuum actuale de futuritione conditionatæ nullam futuritionem conditionatam relinquit, destruatque suum obiectum: cum enim futurum omne conditionatum purificata, & absolute posita conditione transeat in futurum absolutum, si voluntas, & vocatio, seu cogitatio indifferens ponenda actu absolute est, sicut decretum ad status conditionati appositionem, non quidem hic, ab eis, & decreto, sed status absolutæ existentie, & futuritionis necessario apponetur. Si autem dicas postremum: scilicet, satis proportionatum causarum essentialium conditionati consensus vitalis, & liberi esse statum appositionis earum in hypothetici: ergo ita etiam apponi Dei decretum ad eam conditionatam futuritionem satis erit: ac proinde nullo decreto actuali Dei opus habebit, ut apponatur eiusmodi futuritio: Hoc argumento à me, non ita sèni cogitato, iamdiu Thomistas vexabam pertinaces. Quod enim responderi poterat, non eundem statum requiri in omnibus causis essentialibus, ut proportionentur ad eundem statum effectus apponendum dissectum est num. 8. & quod specialiter pro decreto diuino, ut præ aliis concausis essentialibus habere debeat actuale, & absolutum esse ad statum futuritionis conditionatæ apponendum confutatum satis manet n. 7.

10. Arguor unde: quia Deus ut vidimus d. 5. quæst. 3. cognoscit omnia sua decreta conditionare futura, tum, quæ absolute habuit: quia purificata conditio fuit, sub qua ea fore pro priori ad conditionis purificationem novit: tum ea, quæ de facto non habuit, quia de facto purificata, & posita absolute conditio non fuit, ut decretum conferendi gloriam Iudæ, ac reprobis, si cum penitentia, & gratia decederent, vel dandi alicui ampliorem gratiam, quam dedit de facto, si hoc vel illud opus supererogationis, & Consilij exerceret, quod de facto non exercuit. Hæc inquam, & similia reliqua decreta sua Deus vere & infallibiliter prænovit: ergo status ille conditionatæ futuritionis decretorum Dei constituit, ita, ut à Deo cognoscitur, cognosciturque ab æterno fuit, alioqui verè, nedum infallibiliter, à Deo non cognoscetur. Atqui non constituit ut decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti de conditionatæ futuritione eorum, vel alicuius ex illis decretis: ergo ad futuritionem conditionatam contingentis statuendam de-

creto absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti opus non est. Minor probatur: quia in decreto illo sub conditione futuro non est, vel apparet ratio dependentiæ, & subordinationis alteri decreto anteriori absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti. Secundo: quia, ut decretum hoc ex parte obiecti conditionatum sit, ut potest, futurum etiam ex parte actus conditionatum, opus alio decreto actuali de illius conditionatæ futuritione non est: nam ad huius etiam conditionatam, quæ esse potest, futuritionem alio etiam decreto absolute ex parte actus opus erit, & sic in infinitum progressum anteriorum, & anteriorum decretorum absolutorum ex parte actus, & conditionatorum ex parte obiecti abibitur: quod si status futuritionis conditionatæ diuinorum decretorum, abique decreto illo absolute ex parte actus & conditionato ex parte obiecti constituitur, reliquorum etiam contingentium conditionatorum status abique eiusmodi decreto constituitur: cum nihil pro differentia vnius futuritionis ab alia adduci queat, quod præclusum non sit ex dictis n. 7. & 8.

11. Simile argumentum intrinsecum duodecimo potest, ex veritate, vel falsitate determinati omnium, & singularum propositionum conditionalium independentem à decreto quam d. 7. ostendimus. Neque enim verè determinari esse possent independentem à decreto, si conditionatæ futuritioni à decreto in sui consistentia penderet, ut proximè dicebamus. Ex quibus omnibus plus satis probatum est futuritionem conditionatam contingentem à decreto absolute ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti nullatenus pendere. An verò poni ad ipsam in hypothetici debeat decretum prædeterminatum consensus omnino absolutum, quod ad absolutam contingentis futuritionem iuniores Thomistæ requirunt: vel quodam tandem concurrenti decreto ex parte Dei ad consensus seu contingentis conditionatum ad eam hypothetici adducendum sit: iuxta dicenda contr. 3. definiendum: ubi de decreto diuino concurrenti ad creatas liberas actiones, & actus, ex instituto disputabimus: quidquid enim ex parte voluntatis diuinæ ad absolutam contingentis existentiam apponendam necessarium esse statuimus ibi, id totum in hypothetici contingentis conditionati poni omnino debere apertissimum est.

CERTAMEN VII.

Semipelagianorum à Pelagianis in re presenti discrimen, & error propalatur.

1. **V**T clarius testimoniis Patrum (præcipue Augustini, & Ascleclarum) quæ contra nos aduersarij inducunt, possunt deinceps inducere, respondeamus horumque in doctrina Augustini, Prosperi, Hilarii & S. Thomæ examinanda incuria ac inde ortæ confusio, & æquiuocatio deregatur: oportet Semipelagianorum errorem, atque à Pelagianis discrimen circa necessitatem gratiæ ad salutem clare, & dilucide proponere, atque explicare: ut constet contingentis conditionatæ futuritionem, eiusque scientiam ante actuale decretum de illa nullatenus à præfatis Patribus reprobari: post illud vero approbari: nullumque in Augustino, Prosperi, Hilario, Fulgentio, aliove Patre, siue merita Semipelagianorum noua impugnantibus, siue ad eorum argumenta respondentibus, eius rei, vel apparet fundamentum reperiri: & sane neque Semipelagianorum hæresis, neque Catholice Patrum doctrina, quæ illos impugnabant, quidquam referebat conditionatæ illorum merita, ac demerita, eorumque scientiam ante, vel post decretum actuale Dei de eorum conditionatæ futuritione in eo statu constitui: quod, ut ostendatur, & quæ hinc inde nullo delectu, nullaque contextus, & forte textus ipsius, lectione ex Augustino, Prosperi, & Hilario Cursus Disceatatus Carmelitani, & Ioan. à S. Th. cuiusque farinæ alij in nos tumultuario coniectant negligantur. Pelagianorum & Semipela-